

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3616

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1261, avril

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

En vidimant la charte de Pierre de Meulan, échanson du roi, et sa femme Ligarde, Louis [IX], roi de France, confirme la vente faite par eux à Eudes, archevêque de Rouen, de tout ce qu'ils avaient à Piterville et à ses alentours pour trois mille deux cent livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 654, p.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 534.
- c. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCXXXIII, p. 280.

Dissertation critique

Pâques tombe le 24 avril en 1261.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos litteras Petri de Meulento, servientis nostri, et Ligardis, ejus uxoris, vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, Petrus de Meulento, scancius domini regis Francie, et Ligardis, ejus uxor, salutem in Domino. Notum facimus universis, presentibus et futuris, quod nos vendidimus et concessimus pro tribus milibus et ducentis libris turonensium, nobis solutis in pecunia numerata, reverendo patri O., Dei gratia, Rothomagensi archiepiscopo, quicquid habebamus vel habere poteramus in villa de Pintarvilla vel in locis circum adjacentibus, tam ad villam, quam ad campos, sive in terra sive in juribus, homagiis, redditibus vel aliis rebus quibuscumque, de eschanchia que michi prefate Ligardi obvenerat, ex successione magistri Odonis, quondam thesaurarii Baiocensis, fratris mei, que similiter eidem Odoni obvenerat ex successione Guillelmi, nepotis sui, filii quondam Guillelmi de Aubergeinvilla, fratris dicti Odonis, cui Guillelmo dominus rex Francie dictam villam cum aliis supradictis pertinentibus ad eadem dederat et concesserat, sibi et heredibus suis jure hereditario possidenda, prout in litteris ejusdem domini regis plenius continetur ; quicquid eciam fuit, a tempore donacionis predicte, a prefatis personis vel aliqua earum in dicta villa vel in locis circum adjacentibus quocumque modo acquisitum cedit vendicioni supradicte. Nos autem predicti Petrus et Ligardis, coram reverendo patre R., Dei

gratia, Ebroicensi episcopo, personaliter constituti, predicta omnia recognovimus, cartamque sub ejus sigillo fieri fecimus super vendicione et concessione predictis. Premisimus eciam coram eo, spontanei, non coacti, presentibus reverendo patre G., Dei gratia, Autissiodorensi episcopo, magistris Johanne de Flainvilla, Ricardo de Salomonisvilla, canonicis Rothomagensibus, fratribus priore beate Marie Magdalene Rothomagi, Galtero de Mineriis, de ordine Minorum, dominis Willelmo camerario de Tancarvilla, Johanne de Millevilla, Johanne de Monte Poignant, Petro des Ys, militibus, et multis aliis, per juramenta nostra, quod contra vendicionem istam per nos vel per alios, quacumque ratione, non veniemus in futurum, sed predicta omnia et singula firmiter observabimus, et dicto archiepiscopo eisque, qui ab eo causam habuerint, dictam vendicionem, ad usus et consuetudines patrie, garantizabimus contra omnes. Si vero contingeret quod ego predicta Ligardis (quod absit), post mortem mariti mei, istam vendicionem revocarem de facto, contra juramentum meum temere veniendo, voluimus et volumus, ego videlicet et dictus Petrus, maritus meus, et promissimus, sub vinculo prestiti juramenti, et specialiter mulier supradicta, coram dicto patre episcopo Ebroicensi, quod ego, ante rei vendite restitutionem, aut, me moriente, heredes nostri precium dicte vendicionis, una cum estimatione meliorationum in dicta hereditate appositaram, dicto archiepiscopo vel ab eo causam habentibus restituemus, fructibus medio tempore perceptis in soluto minime computandis, nos et nostra presentia et futura, necnon et heredes nostros, quoad hoc specialiter obligantes, renunciantes eciam per juramenta nostra excepcioni non numerate vel non solute pecunie, doli mali, consuetudini Normannie, et omni statuto omnibusque aliis excepcionibus, per quas posset hujusmodi vendicio infirmari. Insuper, sub debito prestiti juramenti, supposuimus nos et nostra jurisdictioni dicti reverendi patri Ebroicensis episcopi, ut possit nos compellere, per se vel per alium, censura ecclesiastica ad omnia et singula supradicta fideliter observanda, ubicumque maneamus vel consistamus. In cujus rei testimonium et munimen, ac ad majorem certitudinem, sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda. Actum Parisius anno Domini M° CC° sexagesimo, mense februario.

Nos autem vendicionem et concessionem predictas, prout superius sunt expresse, ad petitionem supranominatorum Petri de Meulento et ejus uxoris, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, ac res supradictas venditas jam dicto archiepiscopo et ejus successoribus archiepiscopis Rothomagensibus in manu mortua im perpetuum tenendas concedimus, salvo jure in omnibus alieno, donantes et concedentes eidem archiepiscopo et ejus successoribus archiepiscopis Rothomagensibus, in manerio ville predictae de Pintarvilla, gardino totaque propriis ejusdem manerii, placitum spate ac omnimodam aliam justiciam ad nos spectantem in dicta villa de Pintarvilla et aliis pertinentiis ejusdem ville extra manerium, gardinum et propriam predicta, omnimodam justiciam, quam ibidem habebamus tempore vendicionis hujusmodi, nobis et successoribus nostris Francie regibus retinentes. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini millesimo CC° sexagesimo, mense aprilis.